

† R. P. Simeon Hnatyszyn (1912-1950)

(Vice-Prov. Leopolitanae)

Die 24 Iulii anni superioris 1950 Pl. R.P. De Ceuninck, Superior Provinciae Belgicae, e Russia recepit chartulam postalem, scriptam ac vehiculario signo munitam in Uniw, qui vicus fere 60 km. a Leopli distat, et in cuius monasterio studitico confratres nostri Ucraini inde a d. 17 Oct.

1948 concentrati vivunt¹. Chartula illa laconice nuntiabat P. Hnatyszyn d. 4 Iulii Leopoli in nosomio ex abscessu pulmonum mortem obiisse².

Huic optimo Patri pristinus eius Superior, R.P. Ios. De Vocht, in foliis periodicis *Zending* (olim *Sint-Gerardus-Bode*) inscriptis, Febr. 1951, p. 23 sq. dedicat articulum *In Memoriam P. Simeon Hnatyszyn*, cuius substantiam hic cum cunctis per orbem confratribus communicare invat.

Simeon Hnatyszyn natus est a. 1912 in pago Ucrainae Occidentalis Kwinysry (sed in ultimo Catalogo, p. 199, locus natalis appellatur Kur-



Lovanii R. P. Praef. L. Regaert circumdatus suis Studentibus Ucrainis. Inter eos qui stant, Fr. Hnatyszyn est ultimus ad dexteram.

nyky), qui tempore ultimi belli ab incolis plane evacuatus est. Fuit alumnus nostri iuvenatus Zboiska, vota emisit d. 28 Aug. 1930, et studiis philosophicis vacavit in Provinciae matricis collegio Lovaniensi, theologicis vero Pulchriugi. In huius collegii ecclesia ordinationem sacerdotalem recepit d. 25 Iul. 1935 per confratrem nostrum Exc.mum Nicolaum Czarneckyj, qui nunc, si modo superstes est, miseram vitam degit sub caelo arcatico, ad radices montium Ural, in Workyta, ubi tot milia deportatorum in fodinis carbonariis laborem coactum praestant.

P. Hnatyszyn, cum ingenio polleret, a. 1936 Romam missus est ad Collegium Maius S. Alfonsi, ut in vicino Instituto Pont. Orientali gradus academicos consequeretur. Adhuc in nostra memoria est ut confrater modestissimus parvae staturae, procul a strepitu magnae urbis in « novitiatu », qui dicitur, soli Deo et studiis vivens. *Analecta*, XVIII 1939), 262 haec de eo habent: « R.P. Simeon Hnatyszyn, Vice-Prov. de Lwów, licentiatus in theol. Orientis apud Inst. Orientale, probatus pro praesentanda disserta-

¹ Cfr. *Analecta*, XXI (1949), 12.

² RIS, p. 73.

tione, rediit in Vice-Provinciam, ut ibi Lectoris munere fungeretur ». De triennio in Ecclesiae centro transacto P. Hnatyszyn postea saepe loquebatur tamquam de insigni gratia sibi concessa, eamque in eo non fuisse vacuam tota eius subsequens vita comprobavit.

Brevi post eius in patriam reditum novum bellum immane exarsit, nostro confratri, sicut tot aliis, ingentia mala allaturum; verum bis annis magnae tribulationis resplendebat quoque eius animi magnitudo et quanto animi affectu Ecclesiam Christi suamque familiam religiosam prosequeretur. Russis a. 1939 illam regionem invadentibus, iuvenis professor theologiae non fugae se dedit, ut tot alii, sed forti animo in Holosko remansit, ne christifideles sacerdotali adiutorio eo ipso tempore destituerentur, quo magis eo indigebant.

Expellitur quidem a novis dominis e collegio Holosko, sed statim refugium quaerit in vicino collegio Zboiska. Consilium Populare (soviet) Ucrainae d. 28 Oct. 1939 declarat omnia bona mobilia et immobilia religiosorum esse proprietatem publicam; cogitur itaque P. Hnatyszyn etiam collegium Zboiska relinquere, sed cum duobus Fratribus coadiutoribus fidelissimis novum refugium quaerit in humida et obscura cella subterranea vicinae officinae lignariae, sperans cum reliquis invasionem russicam non diu duraturam esse; at post paucos dies inde quoque eiiciuntur nec sinuntur res suas secum portare.

Sic venit in extrema paupertate ad domum nostram Leopopolitanam, in qua publicae securitatis (vel potius publici terroris) ministri simul habitabant cum quindecim Redemptoristis, inter quos unus erat Exc.mus Czarneckyj, alius P. Zenovius Kowalyk, nocte inter d. 20 et 21 Dec. 1940 inopinato in carcerem abducendus et post sex mensium tormenta saeve trucidandus i. Omni laude digni sunt illi sodales Instituti, qui in talibus circumstantiis vitam regularem meliorem, quo fieri poterat, modo continuabant, et peculiari encomio digni sunt Exc.mus Czarneckyj et P. Hnatyszyn, qui nonnullos iuniores confratres ibi ad sacerdotium praeparabant.

Medio a. 1941, ut notum est, Russi per Germanos ex illa regione exturbantur et ad orientem versus pelluntur. P. Hnatyszyn, qui natura potius timidus erat, statim singulari fortitudine occupavit nobisque sic ad tempus servavit magnum collegium Zboiska, quod alii iam destinarant publicum aedificium scholasticum. Eo mox vocati sunt clerici studentes Vice-Provinciae, qui ante biennium in studentatum Provinciae Polonicae fugerant, et duce P. Hnatyszyn studia sua theologica continuarunt.

At rerum condicio prorsus non erat segura, et medio a. 1944 redierunt Russi rediitque bolscevismus cum suis terroribus ac vexationibus, regni Antichristi propriis. Christus Dominus in parabola seminantis loquitur de eo, qui *facta tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur* (Mt. 13, 21). Eiusmodi homines non pauci, proh dolor! etiam in-

¹ Videsis de eo *Analecta*, XXII (1950), 58 sq.

ter catholicos Ucrainos fuerunt. P. Hnatyszyn autem verbum Dei non in cor simile petrae pauca humo tectae receperat, sed in terram optimam, ita ut tempore persecutionis fructum centuplum ferret in patientia. Quoniam sacerdos pagi, ubi eius familia tunc temporis habitabat, ad orthodoxos schismaticos transierat, ipse accurrit, ut dulci matri morienti assisteret, et post eius obitum publice sepulturae praefuit, nil veritus nec orthodoxos nec orthodoxorum patronos, bolscevicos. Afflictabatur quoque bonus P. Hnatyszyn, videns dilectum patrem, antea opulentum, qua servum in propriis agris in « Kolchoz » mutatis dure laborantem, vidensque fratrem ac sororem iuniores studiis vacantes inter pericula atheismi regnantis.

Inde ex a. 1948 confrater, iam in iuventute tot malis probatus, aegrotare coepit, sicut P. De Vocht, solummodo d. 16 Dec. eiusdem anni e Russiae finibus eiectus, testatur. Quodsi in illa chartula « un abcès aux poumons » obitus causa indicatur, potius de diuturna tuberculosi cogitandum esse videtur vel de re peiore. Verum P. Hnatyszyn, ut in vita, ita etiam in morte proculdubio heros fuit, et nunc christianorum heroum palmam gestat. Scribimus haec Dominica III post Pascha, quando in Evangelio audimus verba Christi: « Amen, amen dico vobis: quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium » (Io. 16, 20).